

exacte; omisit enim unum, quod sic habet: *Quod etiam castus timor excluditur a futura uita.* Aliud cum nostris emendationibus ita legendum: *Quod ad Patrem, qui ab animo (alio) non est, proprie vel specialiter operatio (omnipotentia) non etiam sapientia et benignitas.*

VI. fol. 173. p. 2. *Epistola bernhardi abbatis.* Scripta ad Innocentium II. post Conventum Senonensem coram Rege Ludovico VII. celebratum, e quo egressus Abaelardus Sedem Apostolicam adpellavit. Incipit: *Amantissimo patri et domino Innocentio — Necessesse est ut ueniant scandala &c.* Extat Opp. Bernardi edit. Maur. Paris. 1690. T. I. epist. 189. Item Opp. Abaelardi supracit. p. 272. Nobis finit: *qui nec uestrę persone nec curię pepercit,* omissa illa editor. clausula: *quod melius Nicolaus iste meus, imo et vester, uiua referet voce.*

VII. fol. 175. p. 2. absque titulo: *Innocentius episcopus seruus seruorum dei. H. (Henrico) senonensi. (Sampsoni) Remensi archiepiscopis. eorumque suffraganeis. sal. et karissimo in christo filio. B. clareualensi abbati salutem.* Damnantur Abaelardi dogmata cum suo auctore, eique tanquam haeretico perpetuum silentium imponitur. Initium: *Testante Apostolo sicut unus dominus &c.* Finis: *innodandos esse censemus. Data later. XVII. Kal. Aug.* Extat Opp. Bern. T. cit. epist. 194. et Abaelardi p. 299.

In Theca postica egregii huius Codicis legitur: *Iste liber pertinet ad Sanctam Mariam Kottenwic* (Coenobium Gottvicense O. S. B. in Austr. infer.) *Quem quis quis ui seu fraude vel furto abstulerit deleatur de libro viventium Amen fiat fiat.*

CC.

Codex chartaceus lat. Sec. 162 XV. Folior. 274. f. probe scriptus et rubricis distinctus continet inprimis plura S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi, Scriptoris Sec. IV. Opuscula hoc ordine: I. Librum primum de Abraham absque secundo. Titulus: *Incipit liber primus de Abraham patriarcha.* Initium: *Abraham libri huius titulus est &c.* Finis: *et bona senectute compleuit dies.* Monendus jam hic est Lector, Opusculum istud cum sequentibus a quibusdam, ut Cassiodoro, Gratiano, Thoma Aquinate &c. olim sub generali vocabulo Operis de Patriarchis comprehensum, et singula Opuscula tanquam singulos huius Operis libros consideratos fuisse.

II. fol. 13. p. 2. *Incipit liber secundus de ysaac et anima.* Initium: *In patre nobis sancti ysaac uel origo &c.* Finis: *seruare se debet et custodire.*

III. fol. 25. p. 2. *Incipit liber tertius de bono mortis.* Initium: *Quoniam de anima superiore libro sermonem &c.* Finis: et nunc

nunc et semper et in omnia secula  
seculorum Amen.

IV. fol. 36. Incipit liber quar-  
tus de fuga seculi. Initium: Fre-  
quens nobis de effugiendo seculo  
isto est sermo &c. Finis: cui reg-  
num est a seculis et nunc et sem-  
per &c. ut supra.

V. fol. 45. p. 2. Incipit liber  
quintus de Jacob et vita beata. Ini-  
tium: Necessarius ad disciplinam  
bonis omnibus &c. Finis: summa  
animi tranquillitate perfusus.

VI. fol. 51. p. 2. Incipit li-  
ber sextus de eadem re scilicet de  
Jacob et vita beata. Initium: Su-  
periori libro de uirtutum preceptis  
&c. Finis: et quia atroci peremp-  
tus est morte.

VII. fol. 60. p. 2. Incipit li-  
ber septimus de sancto Joseph pa-  
triarcha. Initium: Sanctorum ui-  
ta ceteris norma uiuendi est &c.  
Finis: et audite israel patrem ve-  
strum.

VIII. fol. 71. p. 2. Incipit li-  
ber octauus de benedictionibus pa-  
triarcharum. Initium: Primum  
omnium quantam discimus &c. Fi-  
nis: Ego plantavi apollo riga-  
uit.

IX. fol. 79. Incipit liber No-  
nus de Nabuthe Israhelita. Ini-  
tium: Nabuthe Hystoria tempore  
uetus est &c. Finis: eciam si pri-  
me preuaricationis laqueos euase-  
rint. In edit. Opp. Mauriana Am-  
brosii Paris. 1686. f. habentur  
Opuscula haec T. I. a col. 281. pa-  
rum a nostris variantia, nisi quod  
in fine ultimi ibi fit adiecta  $\pi\epsilon\gamma\mu\omicron\pi\eta$ :  
Sed oportet nos &c. quam plu-  
ra Mss. non agnoscunt. Librarii

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

nostri clausula est: *Finitus est iste  
liber sexto kalen. Marcy Anno do-  
mini M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. XXXVI<sup>o</sup>. In-  
dict. IX. (14) Pro quo laudetur  
Marie filius qui sit nobis clemens  
ac propicius Amen.* Confer et Cod.  
CXCIX.

X. fol. 94. *Paradisus* sive Epi-  
tome Operum et Sententiarum S.  
Augustini libris VIII. digesta a  
Bonizone Episcopo primum Su-  
trino et Legato Pontificio, dein  
Antistite Placentino, sed paucis  
post mensibus a factiosis homini-  
bus Urbano II. infensis e vita,  
truncatis membris, oculisque ef-  
fossis, exturbato an. 1089. Egit  
de eo, ejusque praesenti Opere  
inedito large, ut solet, Lambecius  
L. II. p. 790. edit. Kollar.  
col. 605 quo Lectorem dimitti-  
mus, sequentia adnotare conten-  
ti. Praeit Epistola dedicatoria in-  
scripta: *Bonizo in familia dei mi-  
nimus Johanni reuerentissimo Ab-  
bati salutem. Dominica uoce reus  
arguitur &c.* Epistolae hujus mag-  
nam partem, quae Operis titu-  
lum et  $\delta\iota\kappa\omicron\nu\omicron\mu\iota\alpha\upsilon$  continet, ex-  
cerpsit Lambecius, sed Johannem  
Abbatem fuisse Johannem illum  
Gualberti Ordinis Vallis Um-  
brosae auspitem non satis per-  
suadet. Initium Operis seu L. I.  
qui, ut sequentes, tribuitur in ti-  
tulos, fontibus Augustinianis ad  
margines citatis, est: *Omne quod  
est. aliud est quod constat, aliud e  
quo constat &c.* Finis L. VIII.  
*Neque corruptio incorruptionem  
possidebit, sicut satis quantum ar-  
bitror differuimus.* Accedit clau-  
sula miniata: *Explicit liber iste.*

R r

ffinitus

ffinitus feria quarta ante dominicam *Esto michi. Anno domini. M<sup>o</sup>. CCCC<sup>o</sup>. XXXIX. Johannes Rull. et Tabula five Conspectus omnium Titulorum.*

Errorem, quem in *Ferd. Ugbellii* Catalogo Epp. *Sabinensium Lambecius* *suprac.* notarat, in nova *Italiae Sacrae* editione correctum non fuisse, dolendum est.

335

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 122. f. nitidissime scriptus, fronte, Librorumque initiis auro, coloribusque illustris continet S. *Ambrosii Mediolanensis* Episcopi Libros III. de Officiis hac inscriptione: *Incipit Liber. S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi de Officiis.* Initium est: *Non arrogans videri arbitror si inter filios &c.* Textus collatus cum edit. *Maur. Paris. 1690. T. II. col. 1.* valde sincerus est. Possessorem ultimum habuit *Joh. Sambucum*, ad quem e directa famosissima *Matthiae Corvini Hung. Regis* Bibliotheca *Budensi* devenit; cum enim in Frontis imo Scutum gentilitium *Arago-*

*niae* praeferat, vix dubitem inter *κειμηλια* *Beatricis Neapolitanae*, cujus Pater *Ferdinandus I. Alphonso V. Arag.* Regis filius fuit, ad *Matthiam* Sponsum delatum fuisse.

CCII. VI. J. H.

Codex chartaceus immixtis paucis membranis Sec. XIV. et XV. Folior. 160. 8. non una manu exaratus et rubricis distinctus *Συλλογὴν* Opusculorum complectitur, quam percensebimus. I. *Incipit Liber sancti Ambrosij de fuga seculi.* Initium: *Frequens nobis de effugiendo seculo isto est sermo, atque utinam quam difficilis sermo tam cautus et sollicitus affectus &c.* Textus mendis non caret, ut vel *το difficilis* pro *facilis* ostendit; variis tamen locis refectus est. Extat edit. *Maur. Paris. 1686. T. I. col. 417. f.*

II. *fol. 34.* Verficuli, de quibus in Elencho *Codici* praefixo: *Liber metricus de contemptu mundi editus a quodam de ordine predicatorum quem ad fratrem suum Cardinalem misit.* Ingressus est ejusmodi:

*Cartula nostra tibi mandat dilecte salutes*

*Plura videbis ibi si non mea dona refutes &c.*

Non contentus Artifex rhythmos suos ita variat:

*Non modo leteris quia forsan cras morieris.*

*Per nullam sortem poteris depellere mortem &c.*

Et